

tum est enim nouum testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditū. Sed quid pluribus, cum manifestius, & luce ipsa clarius nouatio prædicetur à creatore per eundē. Ne rememineritis proprium, & antiqua ne recogitaue ritis. Vetera transierunt, noua oriuntur. Ecce facio noua quæ nūc orientur. Item per Hieremiam: Nouate uobis nouamē nouum, & ne seueritis in spinas, & circumcidimini præpucio cordis uestri. Et alibi: Ecce uenient dies dicit dominus, & perficiā domui Iacob & domui Iudæ testamentum nouū, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum, in die qua arripui dispositionem eorum, ad educendos eos de terra Aegypti. Adeo pristinum testamentum temporale significat, dum mutabile ostendit, etiam dum æternum de postero pollicetur. Nam per Esaiam: Audite me & uiuetis, & disponam uobis testamentum æternum, adjiciēs sancta & fidelia Dauid, ut id testamentum in CHRISTO decursurum demonstraret. Eundem ex genere Dauid secundū MARIAE censem, etiam in uirga ex radice Iesse processura figurate prædicabat. Igitur si alias leges alioq; sermones, & nouas testamentorum dispositiones à creatore dixit futuras, ut etiam ipsorū sacrificiorum alia officia potiora, & quidem apud nationes destinari, dicente Malachin: Non est uoluntas mea in uobis, inquit dominus, & sacrificia uestra non excipiam de manibus uestris, quoniam à solis ortu usq; ad occāsum glorificatum est in nationibus nomen meum, & in omni loco sacrificiū sacrificiū mundum. nomini meo offeretur, & sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia pura. Necesse est omnis demutatio ueniens, ex innouatione, diuersitatem ineat cum his quorum sit, & contrarietatē ex diuersitate. Sicut enim nihil demutatum quod non diuersum, ita nihil diuersum quod non contrarium. Eiusdem ergo deputabitur etiam contrarietas ex diuersitate, cuius fuerit demutatio ex innouatione. Qui disposuit demutationem, iste instituit & diuersitatem. Qui prædicauit innouationem, iste prænunciauit & contrarietatem. Quid differentiā rerum ad distantiam interpretaris potestatum? Quid Antitheseis exemplorū distorques aduersus creatorem, quas in ipsis quoq; sensibus & affectiōibus eius potes recognoscere? Ego, inquit, p̄cutiā, & ego sanabo: Ego, inquit, occidam, & ego uiuificabo, condens scilicet mala & faciens pacem. Qua etiam soles illum mobilis quoq; & inconstantia nomine reprehendere, prohibentem quæ iubet, & iubentem quæ prohibet. Cur ergo non & Antitheseis ad naturalia reputasti, cōtrarij sibi semper creatoris? Nec mundum saltim recogitare potuisti, nisi fallor, etiā apud Ponticos ex diuersitatibus constructum æmularum inuicem substantiarū. Prius itaq; debueras alium deum luminis, alium tenebrarū determinasse, ut ita posles alium legis, alium euangelij affluerasse. Cæterum præiudicatu est ex manifestis, cuius opera & ingenia per Antitheseis constant, eadē forma constare etiam sacramenta. Habes nunc Antithesis expeditam à nobis responsionem. Transeo nunc ad euangelij sanè non Iudaici, sed Pontici interim